



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. XXXI. De Conceptione Saluatoris, quoad materiam de qua corpus
eius conceptum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

fuisse consecratum, propter multa, & ingentia mysteria in eo perfecta. Fuit enim (vt creditur) domus illa domicilium B. Annæ, & in eo B. Virgo nata est, Christusq; conceptus, & saltem vsque ad fugam in Aegyptum educatus. Nam de tempore post reditum ex Agypto licet Canisius cum Baptista Mantuanò censet, in eadem domo Virginem, & Christum habitasse: mihi tamen dubia res est, quia Beda in citato loco refert fuisse in Nazareth ædificatam aliam Ecclesiam in illa domo, in qua Christus post reditum ex Agypto vsque ad grandiorē ætatem educatus est. Sed illa prior fuit semper sanctior, ac celebrior habitata, & nunc etiam est in Ecclesia celeberrima. Nam eadem illa domus, in qua hæc annuntiatio facta est, ministerio Angelorum primum in Illyricum, postea in Italiam translata est, & vsque ad præsentem diem perseverat, & Lauretana Ecclesia appellatur, & in summa religione habetur, vt ex variis Historiographis erudite tractat Canis. libr. 5. de B. Maria. c. 25. Deniq; illud non omittam, domum hæc fuisse sitam in ciuitate Nazareth (vt ex Euangelio constat) & inde fuisse Christum Nazareum vocatum, vt notat Hierony. libr. de locis Hebr. in Nazareth. Neque obstat, quod illa ciuitas erat in Galilæa, quæ ad Tribum Iudæ non pertinebat. Quia, vt notauit Abulens. Matthæ. 2. q. 88. post decem Tribuum dispersionem, Iudæi qui ex captiuitate Babylonica redierant, totam illam terram occuparunt, & ita multi ex Tribu Iudæ, ex qua erat maior pars eorum, qui redierunt, extra Iudæam domicilia & possessiones habebant.

QVÆSTIO XXXI.

De conceptione Saluatoris quo ad materiam, de qua corpus eius conceptum est, in octo articulos diuisa.

Einde considerandum est de ipsa conceptione Saluatoris. Primo, quantum ad materiam, de qua eius corpus conceptum est. Secundo, quantum ad conceptionis autorem. Tercio, quantum ad modum, & ordinem conceptionis.

Circa primum queruntur octo.
Primo, utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam.
Secundo, utrum fuerit sumpta de Dauid.
Tercio, de genealogia Christi, quæ in Euangelio ponitur.
Quarto, utrum decuerit Christum nasci de femina.
Quinto, utrum fuerit de purissimis sanguinibus Virginis corpus eius formatum.
Sexto, utrum caro Christi fuerit in antiquis Patribus, secundum aliquid signatum.
Septimo, utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.
Octauo, utrum fuerit decimata in lumbis Abrabæ.

ARTICVLVS I.

Utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod caro Christi non fuerit sumpta ex Adam. Dicit enim Apostolus 1. ad Corinth. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo, de calo celestis. Primus autem homo est Adam, secundus est Christus. Ergo Christus non est ex Adam, sed habet ab eo distinctam originem.

2. Præterea, Conceptio Christi debuit esse maxime

A miraculosa. Sed maius est miraculum, formare corpus hominis ex limo terre, quam ex materia humana, quæ de Adam trahitur. Ergo videtur, quod non fuerit conueniens Christum ab Adam carnem sumpsisse. Ergo videtur, quod corpus Christi non debuerit formari de massa humani generis deriuata ab Adam, sed de aliqua alia materia.

3. Præterea, Peccatum in hunc mundum intrauit per unum hominem, scilicet per Adam: quia omnes in eo originaliter existentes peccauerunt: vt patet Romanorum. 5. Sed si corpus Christi fuisse ab Adam sumptum, ipse etiam in Adam originaliter fuisset, quando peccauit. Ergo peccatum originale contraxisset, quod non decebat Christi puritatem. Non ergo corpus Christi est formatum de materia sumpta ab Adam.

Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Hebræos. 2. Nusquam Angelos apprehendit, scilicet filius Dei: sed semen Abrabæ apprehendit. Semen autem Abrabæ sumptum est ex Adam: ergo corpus Christi fuit formatum de materia ex Adam sumpta.

Respondeo dicendum, quod Christus humanam naturam assumpsit, vt eam à corruptione purgaret. Non autem purgatione indigebat natura humana, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiosam, quæ ex Adam descendebat. Et ideo conueniens fuit, vt carnem sumeret ex materia ab Adam deriuata, vt ipsa natura per assumptionem curaretur.

Ad primum ergo dicendum, quod secundus homo, id est, Christus, dicitur esse de celo, non quidem quantum ad materiam corporis: sed vel quantum ad virtutē formatiui corporis: eius, vel etiam quantum ad ipsam eius diuinitatem: secundum autem materiam corpus Christi fuit terrenum, sicut & corpus Adæ.

Ad secundum dicendum, quod sicut supradictum, mysterium incarnationis Christi est quiddam miraculosum: non sicut ordinatum ad confirmationem fidei, sed sicut articulus fidei. Et ideo in mysterio incarnationis non requiritur quod sit maius miraculum, sicut in miraculis, quæ sunt ad confirmationem fidei: sed quid sit diuina sapientiæ conuenientius, & magis expediens humane salutis, quod requiritur in omnibus, quæ fidei sunt. Vel potest dici, quod in mysterio incarnationis non solum attenditur miraculū ex materia conceptus: sed magis ex modo conceptionis & partus: quia scilicet Virgo concepit, & peperit.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, corpus Christi fuit in Adam secundum corpulentam substantiam: quia scilicet ipsa materia corporis Christi deriuata est ab Adam. Non autem fuit ibi secundum seminalem rationem: quia non est concepta ex virili semine. Et ideo non contraxit originale peccatum, sicut ceteri, qui ab Adam per viam virili seminis deriuantur.

COMMENTARIVS.

In hoc, & sequentibus articulis multa tractat D. Th. de quibus in superioribus, vel alia occasione, vel sub aliis titulis, & rationibus disputaui. Et quia in eis locis exposita sunt, curabo diligenter inutilē repetitionē vitare, signando loca, in quibus de vna quaque re dictum sit, & ea solum addendo, quæ ad præsentis textus expositionem fuerint necessaria. In hoc ergo articulo rationem reddit D. Thom. ob quam decuit Verbum assumere humanam naturam, non ex noua materia, seu ex nihilo creatam sed ex Adam posteritate formatam. Quam rem attigit etiam supra. quæst. 4. art. 6. & à nobis tractata est disputatione 15. sectione 1. Prioris Tomi. Hic solum adde, sed doctrina huius articuli colligi Christum Dominum, sicut dicitur filius Abrabæ, vel Dauid,

Christus
cur dici nō
debeat fi-
lius Adæ.

uid, ita in rigore posse dici filium Adæ, quia sicut per humanam generationem formatus est ex filia Abraham: ita etiam ex filia Adæ. Quia verò Christus non est conceptus per feminalem generationem, ideo non est filius eius quoad culpam, nec quoad originis defectum, & propterea non solet, nec debet simpliciter appellari filius Adæ, quia hæc appellatio solet in malam partem accipi, ad denotandum defectum ex infecta origine participatum.

In solutione ad primum tractat D. Tho. illum locum primæ ad Corinth. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo cælestis. De quo dixit etiam supra quæst. 5. artic. 1. ad primum, & nos dicta disputat. 15. sectio. 3. Reliqua in hoc articulo clara sunt.

ARTICVLVS II.

Virum caro Christi fuerit sumpta de Dauid.

169.



Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non sumpserit carnem de semine Dauid. Matheus enim genealogiam Christi texens eam ad Ioseph perducit, Ioseph autem non fuit pater Christi: ut supra

q. 2. 9. art. 2. dictum est. Non ergo videtur, quod Christus de genere Dauid descenderit:

art. 1. ad 2.

2. Præterea, Aaron fuit de tribu Leui ut patet Exod. 6. Maria autem mater Christi cognata dicitur Elisabeth, quæ est filia Aaron: ut patet Lucæ. 1. Cum ergo Dauid fuerit de tribu Iuda (ut patet Matth. 1.) videtur, quod Christus de semine Dauid non descenderit.

3. Præterea, Hierem. 22. dicitur de Iechonia: Scribe istum virum sterilem, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solum Dauid. Sed de Christo dicitur Isai. 9. Super solum Dauid sedebit. Ergo Christus non fuit de semine Iechonia, & per consequens, nec de genere Dauid. quia Matth. à Dauid per Iechoniam seriem generationum perducit.

Sed contra est, quod dicitur Roman. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.

Respondetur dicendum, quod Christus specialiter duorum antiquorum patrum filius dicitur esse, Abraham scilicet, & Dauid: ut patet Matth. 1. Cuius est multiplex ratio. Prima quidem, quia ad hos specialiter de Christo promissio facta est: dictum enim Abraham Genes. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Quod Apostolus de Christo exponit, dicens Gal. 3. Abraham dicte sunt promissiones, & semini eius: non dicitur & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Ad Dauid autem dictum est. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Unde & populus Iudeorum, ut Regem honorifice suscipientes, dicebant Matth. 21. Hosanna filio Dauid. Secundario ratio est, quod Christus futurus erat Rex, Propheta, & sacerdos: Abraham autem sacerdos fuit: ut patet ex hoc, quod Dominus dixit ad eum Genes. 15. Sume tibi vac. am triennem, &c. Fuit etiam Propheta, secundum illud quod dicitur Genes. 20. Propheta est, & orabit pro te. Dauid autem, Rex fuit, & Propheta. Tertia ratio est, quia in Abraham primo incepit circumcisio: in Dauid autem maxime manifestata est Dei electio: secundum illud quod dicitur. 1. Reg. 13. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum. Et ideo viri usque filius Christus specialissime dicitur: ut ostendatur esse in salutem, & circumfessionem, & electionem Gentilium.

Ad primum ergo dicendum, quod hæc obiectio fuit Fausti Manichei, volentis probare Christum non esse filium Dauid, quia non est conceptus ex Ioseph, usque ad quem seriem generationis Matheus perducit. Contra quem Augustinus, respondet. 23. lib. contra Faustum, quod cum idem Euan-

gelista dicat, & virum Mariæ esse Ioseph & Christi matrem li. 23. ca. 8. Virginem esse, & Christum esse ex semine Dauid, quid restat, nisi credere Mariam non fuisse extraneam à cognatione Dauid, & eam Ioseph coniugem non frustra appellatam, propter animorum consuetudinem, quamvis ei non fuerit carne commixtus: & quod potius propter dignitatem virilem ordo generationum usque ad Ioseph perducitur? Si ergo nos credimus etiam Mariam fuisse de cognatione Dauid: quia Scripturis credimus, quæ utrumque dicunt, & Christum ex semine Dauid secundum carnem, & eius matrem Mariam, non cum viro conumbendo, sed virginem. Ut enim dicit Hieronymus, super Matth. Ex vna tribu fuit Ioseph, & Maria: Unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam: propter quod & simul censentur in Bethleem, quasi simul de vna stirpe generati.

Ad secundum dicendum, quod huic obiectioni Gregorius Nazian. respondet dicens, quod hoc nutu superno contingit, ut regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, ut Christus, qui rex est, & sacerdos, ab utriusque nasceretur secundum carnem. Unde & Aaron, qui fuit primus sacerdos, secundum legem, duxit ex tribu Iuda coniugem Elisabeth filiam Aminadab. Sic ergo potuit fieri, ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de stirpe Dauid: ratione cuius Beata Virgo Maria, quæ fuit de stirpe Dauid, esset Elisabeth cognata. Vel potius è conuerso, quod pater Beata Mariæ de stirpe Dauid existens, uxorem habuerit de stirpe Aaron. Vel sicut Augustinus dicit. 23. contra Faustum. Si Ioachim pater Mariæ de stirpe Aaron fuit (ut Faustus hæreticus per quasdam scripturas apocryphas asserbat) credendum est, quod mater Ioachim fuerit de stirpe Dauid, vel etiam vxor eius: ita ut per aliquem modum Mariam dicamus fuisse de stirpe Dauid.

Ad tertium dicendum, quod per illam auctoritatem prophetiam (sicut Ambrosius dicit super Lucam) non negatur ex semine Iechonia posteros nascituros, & ideo de semine eius Christus est. Et quod regnavit Christus, non contra prophetiam est, non enim seculari honore regnavit. Ipse enim dixit, Regnum meum non est de hoc mundo.

ARTICVLVS III.

Virum convenienter genealogia Christi ab Evangelistis texatur.



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod genealogia Christi inconuenienter ab Evangelistis texatur: Dicitur enim Isai. 53. De Christo, Generationem eius quis enarrabit? Ergo non fuit generatio Christi enarranda.

2. Præterea, Impossibile est vnum hominem duos patres habere. Sed Matth. dicit, quod Iacob genuit Ioseph virum Mariæ. Lucas autem dicit Ioseph fuisse filium Heli, ergo contraria sibi inuicem scribunt.

3. Præterea, Videntur in quibusdam à se inuicem diuersificari. Matth. enim in principio lib. incipiens ab Abraham, descendendo usque ad Ioseph, quadraginta duas generationes enumerat: Lucas autem post Baptismum Christi generationem Christi pernit incipiens, à Christo, & perduens generationum numerum usque ad Deum, ponens generationes septuaginta septem viroque extremo computato. Videtur igitur, quod inconuenienter generationem Christi describant.

4. Præterea, Quarto Reg. 8. legitur, quod Ioram genuit Ochoziam: cui successit Ioas filius eius: huius autem successit filius eius Amazias, postea regnavit filius eius Azarias, cui appellatur Ozias, cui successit Ioatham filius eius c. 14. ibi. Matthæus sup. e. 15.

Matthaeus autem dicit: quod Ioram genuit Oziam: ergo videtur inconuenienter generationem Christi describere, tres Reges in medio praetermittens.

5. Præterea, Omnes, qui in Christi generatione describuntur, patres habuerunt, & matres, & plurimi etiam ex eis fratres habuerunt: Matthaeus autem in generatione Christi tres tantum enumerat matres, scilicet Thamar, Ruth, & uxorem Uriæ: fratres autem nominat Iudæ, & Iechoniam, & iterum Phares & Zaram. Quorum nihil posuit Lucas. Ergo videtur Euangelista inconuenienter genealogiam Christi descripsisse.

Sed contra est authoritas Scriptura.

Respondeo dicendum, quod si ut dicitur 2. ad Timot. 5. Omnis Scriptura sacra est diuinitus inspirata. Quae autem diuinitus sunt, ordinatissime sunt: secundum illud Rom. 13. quæ a Deo sunt ordinatae sunt. Vnde conuenienti ordine genealogia Christi, est ab Euangelistis scripta.

Ad Primum ergo dicendum, quod sicut Hieronymus dicit super Matt. 1. Isai. loquitur de generatione diuinitatis Christi: Matthaeus autem enarrat generationem Christi secundum humanitatem. Non quidem explicans modum Incarnationis, quia hoc etiam est inscissibile: sed enumerans patres, ex quibus Christus secundum carnem processit.

Ad secundum dicendum, quod ad hanc obiectionem, quam mouit Iulianus Apostata, diuersimodè ab aliquibus respondetur. Quidam enim (ut Greg. Nazianzenus dicit) dicunt eisdem esse, quos uterque Euangelista enumerat. sed sub diuersis nominibus, quasi binomios. Sed hoc stare non potest: quia Matthaeus ponit unum filiorum Dauid, scilicet Salomonem: Lucas autem ponit alium, scilicet Nathan: quos secundum historiam libri Regum constat fratres fuisse. Vnde alij dixerunt, quod Matthaeus veram genealogiam Christi tradidit: Lucas autem putatiuam, vnde incepit, ut putabatur filius Ioseph. Erant enim aliqui ex Iudæis, qui propter peccata Regum Iudæ, credebant Christum ex Dauid non per reges, sed per aliam eius stirpem hominum priuatorum, esse nasciturum. Alij vero dixerunt, quod Matthaeus posuit patres carnales, Lucas vero posuit patres spirituales, scilicet iustos viros, qui dicuntur patres, propter similitudinem honestatis. In lib. vero de Quaestionibus veteris, & noui testamenti respondetur, quod non est intelligendum, quod Ioseph à Luca dicatur esse filius Heli, sed quod Heli, & Ioseph fuerunt patres Christi diuersimodè à Dauid descendentes. Vnde de Christo dicitur, quod putabatur filius Ioseph, & quod ipse etiam Christus fuit Heli filius: quasi diceret, quod Christus ea ratione, qua dicitur filius Ioseph, potest dici filius Heli, & omnium eorum, qui ex stirpe Dauid descenderunt: sicut Apostolus dicit Roman. 9. Ex quibus, scilicet Iudæis, Christus est secundum carnem.

Aug. vero in lib. de Quest. Euangel. tripliciter soluit dicens. Tres cause occurrunt: quarum aliquam Euangelista secutus est. Aut enim vnus Euangelista patrem Ioseph, à quo genitus est nominauit: alter vero vel auum matrem, vel aliquem de cognatis maioribus posuit. Aut vnus erat huic Ioseph naturalis pater, & alter eum adoptauerat. Aut more Iudeorum, cum sine filiis vnus decessisset, eius uxorem propinquus accipiens, filium, quem genuit, propinquo mortuo deputauit. Quod etiam quoddam genus adoptionis legalis est, ut ipse Aug. dicit in 2. de consensu Euang. Et hæc vltima causa est verior, quam & Hieron. super Matt. ponit: & Euangelista Cesarientis in Ecclesiastica historia ab Apbrycano historiographo traditam asserit. Dicunt enim quod Nathan, & Melchi diuersis temporibus de vna eademque uxore Iesæ nomine, singulos filios procreauerunt: quia Nathan, qui per Salomonem descendit, uxorem eam primum ceperat, & relicto filio vno Iacob nomine, defunctus est: post cuius obitum (quoniam lex viduam alij viro non vetat nubere) Melchi, qui per Nathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam

A Nathan accepit uxorem, ex qua etiam ipse suscepit filium nomine Heli. Et sic ex diuerso patrum genere efficiuntur Iacob, & Heli veterini fratres: quorum alter, id est, Iacob fratris sui Heli sine liberis defuncti, ex mandato legis accipiens uxorem, genuit Ioseph: natura quidem generis suum filium, secundum vero legis præceptum Heli efficitur filius. Et ideo Matthaeus dicit. Iacob genuit Ioseph: sed Lucas, quia legalem generationem describit, nullum nominat aliquem genuisse. Et quamuis Damas. dicat, quod B. Virgo Maria Ioseph attingebat secundum illam originem, qua pater eius dicitur Heli, quia dicit eam ex Melchi descendisse: tamen credendum est, quod etiam ex Salomone originem duxerit, secundum aliquem modum per illos Patres, quos enumerat Matthaeus, qui carnalem Christi generationem dicit enarrare, præsertim cum Ambr. dicat Christum de semine Iechoniam descendisse.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicit Augustinus in lib. de consensu Euangel. Matthaeus regiam in Christo instituerat insinuare personam; Lucas autem sacerdotalem. Vnde in generationibus Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum à Domino Iesu Christo: in quantum scilicet per carnis originem similitudinem carnis peccati assumpsit. In generationibus autem Lucae signatur nostrorum abolitio peccatorum à Christo Domino. Et ideo generationes Matthaeus descendens enumerat. Lucas autem ascendens. Inde etiam est, quod Matthaeus ab ipso Dauid per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit. Lucas vero ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per cuius nominis Prophetam Deus peccatum illius expiauit. Et inde est etiam quod quia

C Matthaeus ad mortalitatem nostram Christum descendente voluit signare, ipsas generationes ab Abraham vsque ad Ioseph, & vsque ad ipsius Christi natiuitatem descendendo, commemorauit ab initio Euangelij sui: Lucas autem non ab initio, sed à Baptismo Christi generationem narrat, nec descendendo, sed ascendendo, tanquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans: ubi testimonium Iohannes perhibuit, dicens, Ecce qui tollit peccatum mundi. Ascendendo autem transit ab Abraham & peruenit ad Deum: cui mundati, & expiati reconciliamur. Merito etiam adoptionis originem ipse suscepit: quia per adoptionem efficiuntur filij Dei: per carnalem vero generationem filius Dei filius hominis factus est. Satis autem demonstrauit non seideo dixisse Ioseph filium Heli, quod de illo sit genitus: sed quod ab illo fuerit adoptatus, cum & ipsum Adam filium Dei dixerit, cum sit factus à Deo. Numerus etiam quadragenarius ad tempus presentis vite pertinet, propter quatuor partes mundi: in quo mortalem vitam ducimus sub Christo regnante. Quadraginta autem quater habent decem, & ipsa decem ab vno vsque ad quatuor progrediens numero consummatur. Posset etiam denarius ad dealogum referri, & quaternarius ad presentem vitam, vel etiam ad 4. Euangelia, secundum quæ Christus regnat in nobis. Et ideo Mat. regiam personam Christi commendans, quadraginta personas posuit, excepto ipso. Sed hoc intelligendum est, si sit idem Iechonias, qui ponitur in fine secundi quaternarii & in principio tertij, ut Aug. vult: quod dicit factum esse ad significandum, quod in Iechonia facta est quadragesima ad extraneas gentes, quando in Babiloniam trans-

D migratum est: quod præfigurabat Christum circumcisione præputium migraturum. Hier. autem dicit duos fuisse Iochim, id est, Iechoniam patrem scilicet, & filium, quorum uterque in generatione Christi assumitur, ut constet distinctio generationum, quas Euangelista per tres quaterdenarios distinguuit, quod ascendit ad quadraginta duas personas. Qui etiam numerus sancta conuenit Ecclesia. Hic enim numerus consummat ex senario, qui significat laborem presentis vite, & septenario, qui significat quietem vite future. Sexies, & septies sunt quadraginta duo. Ipse etiam quaterdenarius: quia ex denario & quaternario constituitur per aggregationem, ad eadem significationem pertinere potest, quæ attributa est quadragenario, qui con-

lib. 4. orthod. fidei. c. 15. ante med.

lib. 3. in Luc. declinando

ad fin. 10. 5. li. 2. ca. 4. in prim. & post medium simul, 10. 4.

li. 2. de consensu Euang. cap. 4. ante med. 10. 4.

Mat. 1. f. per illud & post transmigrationem Babilonis, 10. 9. idem habet Ambr.

in Luc. li. 3. non multum procul a fine, 10. 5.

Gloss. ordi. ex Hieron. in c. 1. Mat. in prim. 10. 9.

Aug. in lib. q. ex nouo test. qui interpretatur, Deus coram perfectus est. q. 16. & in alio lib. qui interpretatur, Cur facta & dicta. q. 6. 10. 4. lib. 2. c. 5. ante med. 10. 4.

li. 2. cap. 3. in cap. princ. 10. 4. Euangel. li. 1. h. 1. Eccles. 1. 6. in fin. & c. 7. p. ante med. 10. 4. idem, idem th. an. qui per Salomonem descendit, uxorem eam primum ceperat, & relicto filio vno Iacob nomine, defunctus est: post cuius obitum (quoniam lex viduam alij viro non vetat nubere) Melchi, qui per Nathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam

qui confurgit ex eisdem numeris secundum multiplicationem. Numerus autem, quo Lucas utitur in generationibus Christi, significat vniuersitatem peccatorum. Denarius enim tanquam iustitia numerus in decem preceptis legis ostenditur. Peccatum autem est legis transgressio. Denarii vero numeri transgressio est vndenarius. Septenarius autem significat vniuersitatem, quia vniuersum tempus septenario dierum numero voluitur, septies autem vndecim sunt septuaginta septem, & ita per hoc significatur vniuersitas peccatorum, quae per Christum tolluntur.

Matt. 1. super illud, 10
Matth. dicit, quia Ioram Rex generi se miscebat impietatem genuit
Oz. 1. 2. 9.

Homil. 1. in opere imperato, 10. 2.

Aug. in lib. q. ex nouo Testam. q. 85. tom. 4.

Matt. 1. super illud, Iudas genuit Phares 10. 9.

libro 3 in Luc. ali. quatuor ante medium, tom. 3.

Ad quartum dicendum, quod sicut Hieronymus super illud, 10 Matth. dicit, quia Ioram Rex generi se miscebat impietatem genuit Oz. 1. 2. 9. memoria tollitur, ne in sanctae naturae ordine poneretur. Et ita ut Chrysostomus dicit, quanta benedictio facta est super Iehoiachin, qui vindictam fecerat super domum Achab, & Iezabel, tanta est maledictio super domum Ioram propter filiam iniqui Achab, & Iezabel, ut usque ad quartam generationem praedantur filii eius de numero Regum: sicut scriptum est Exod. 20. Reddam peccatum parentum in filios usque ad tertiam & quartam generationem. Est etiam attendendum, quod & alij Reges fuerunt peccatores, qui in genealogia Christi ponuntur, sed non fuit eorum continua impietas. Nam ut dicitur in libro Questionum veteris, & noui Testamenti, Salomon merito patris sui dimissus in regno est, Roboam merito Asa filij sui: horum autem trium continuauit impietas.

Ad quintum dicendum, quod sicut dicit Hieronymus super illud, 10 Matth. In genealogia Saluatoris nulla sanctarum mulierum assumitur, sed eas, quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat de peccatoribus nascens omnium peccata deleret. Vnde ponitur Thamar, quae reprehenditur de foerino concubitu: & Raab, quae fuit meretrix: & Ruth, quae fuit alienigena: & Bethsabee vxor Uriae, quae fuit adultera. Quae tamen proprio nomine non ponitur, sed ex nomine viri designatur: tum propter peccatum ipsius, quae fuit adulterij, & homicidij conscia: tum etiam ut nominato viro peccatum David ad memoriam reuocetur. Et quia Lucas Christum designare intendit, ut peccatorum expiatorem, talium mulierum mentionem non facit. Erant autem Iude commemorat, ut ostendat eos ad Dei populum pertinere: cum tamen Ismael frater Isaac, & Esau frater Iacob a populo Dei fuerint separati: propter quod in generatione Christi non commemorantur, & etiam ut superbiam de nobilitate excludat. Multi enim fratrum Iude ex ancillis nati fuerunt: sed omnes simul erant Patriarchae, & tribuum principes. Phares autem, & Zaram simul nominantur, (Vt Ambrosius dicit super Lucam) quia per eos gemina describitur vita populorum: vna secundum legem, quae significatur per Zaram: altera secundum fidem, quae significatur per Phares. Fratres autem Iechonia ponit quia omnes regnauerant diuersis temporibus, quod in alijs Regibus non acciderat, vel quia eorum similis fuit, & iniquitas, & miseria.

DE hac re latè diximus supra disputat. 2. huius tom. 1. 3. ubi propter loci opportunitatem genealogiam B. Virginis texere necessarii fuit, quae explicata, nihil est, quod de Christi genealogia dicamus, nec circa litteram D. Thom. nouum aliquid explicandum occurrit.

ARTICVLVS III.

Virum decuerit Christum nasci de femina.

171.
3. d. 12. q. 3.
ar. 1. q. 2. 5.
op. 3. c. 218.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod materia corporis Christi non debuerit esse assumpta de femina.

Ana. Sexus enim masculinus est nobilior, quam sexus foemineus. Sed maxime decuit ut Christus assumeret id, quod est perfectum in humana natura. Ergo videtur, quod non debuerit de femina carnem assumere, sed magis de viro: sicut & Eua de costâ viri formata est.

2. Præterea, Quicumque ex femina concipitur, vtero femina concluditur. Sed Deo, qui calum & terram implet, (ut dicitur Hieremia 23.) non competit quod paruo sumina vtero includatur. Ergo videtur, quod non debuerit concipi de femina.

3. Præterea, illi, qui concipiuntur ex femina, quandam immunditiam patiuntur. Vnde dicitur Iob. 25. Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Sed in Christo nulla immunditia esse debuit: ipse enim est Dei sapientia: de qua dicitur Sapientia septimo, Nihil inquinatum in illam incurrit. Ergo non videtur, quod debuerit carnem assumere de femina.

Sed contra est, quod dicitur Galat. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere.

Respondetur dicendum, quod licet filius Dei carnem humanam assumere potuerit, de quacunque materia voluisset: conuenientissimum tamen fuit, ut de femina carnem acciperet. Primum quidem, quia per hoc tota humana natura nobilitata est. Vnde Augustinus dicit lib. 83. questio. 9. in meminum, Homini liberatio in vtroque sexu debuit apparere. Ergo, quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conueniens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est. Secundo, quia per hoc veritas incarnationis asseruitur. Vnde Ambrosius dicit in libro de Incarn. Multa in Christo secundum naturam inuenies, & ultra naturam: secundum conditionem etiam naturam in vtero feminei corporis fuit, sed supra conditionem virgo concepit, virgo genuit: ut crederes, quia Deus erat, qui innotabat naturam, & homo erat, qui secundum naturam nascebatur ex homine. Et Augustinus dicit epistola ad Volusianum. Si omnipotens Deus hominem vbiunque formatum, non ex materno vtero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confunderet erroris, nec hominem verum suscepisse, vilo modo crederetur? & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit. Nunc vero ita inter Deum, & hominem mediator apparuit, ut in vnitatem personae copulans veramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. Tercio, quia per hunc modum completur omnis diuersitas generationis humanae. Nam primus homo productus est ex limo terre sine viro, & femina. Eua vero producta est ex viro sine femina: alij vero homines nascuntur ex viro, & femina. Vnde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex femina sine viro.

Ad primum ergo dicendum, quod quia sexus masculinus est nobilior, quam foemineus, ideo humanam naturam in masculino sexu assumpsit: ne tamen sexus foemineus contemneretur, congruum fuit, ut carnem assumeret de femina. Vnde Augustinus dicit in libro de Agone Christiano. Nolite vos ipsos contemnere viri filius Dei virum suscepit: nolite vos ipsas contemnere femina, filius Dei natus ex femina est.

Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit. 23. lib. contra Faustum (qui hac obiectione utebatur) Non plane inquit, catholica fides, quae Christum Dei filium, natum secundum carnem credit ex Virgine, vilo modo eundem Dei filium sic in vtero mulieris includit, quasi extra non sit, quasi celi, & terrae administrationem deseruerit, quasi à Patre recesserit, sed vos Manichei corde illo, quo nihil potest nisi corporalia phantasmata cogitare, ista omnino non capit. Vt enim dicit in epistola ad Volusianum. Hominum iste sensus est nihil, nisi corpora valentium cogitare: quorum nullum

tum potest esse ubique totum : quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat necesse est. Longe alia est anima natura, quā corporis: quanto magis Dei, qui creator est, & anima, & corporis, & nouit ubique totus esse, & nullo conserui loco: nouit venire, non recedendo ubi erat: nouit abire, non deferendo quo uenerat.

Ad tertium dicendum, quod in conceptione viri ex femina non est aliquid immundum, in quantum est opus Dei: vnde dicitur Act. 10. Quod Deus creauit, tu ne commune dixeris, id est, immundum. Est tibi tamen aliqua immunditia ex peccato proueniens, prout cum libidine quis concipitur ex commixtione maris, & femine, quod tamen in Christo non fuit, vt supra offensum est. Si tamen aliqua esset ibi immunditia, ex ea non inquinaretur Dei Verbum, quod nullo modo est immutabile, vel alterabile. Vnde August. dicit in lib. contra quinque hereses. Dicit tibi Deus creator hominis, filius hominis, Quid est, quod te permouet in mea natiuitate? non sum libidinis conceptus cupiditate: ego marrem, de qua nascerer, feci. Si solis radius cloacarum sordes ficcare nouit, eis inquinari non nouit: quanto magis splendor lucis aeternae, quocunque radiauerit, mundare potest, & ipse pollui non potest.

Litera huius articuli tam perspicua est, vt non indigeat expositione. Dere autem ipsa propter ea, quæ in primo tomo, disput. 3. attigi tractando de cõuenientia Incarnationis, disputaui supra in hoc tomo disput. 1. sect. 1. & disput. 5. sect. 1. & in sequentib. nonnulla addemus.

ARTICVLVS V.

*Verum corpus Christi de purissimis sanguinibus
Virginis formatum fuerit.*

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod caro Christi non fuerit concepta ex purissimo sanguinebus Virgini. Dicitur enim in Collecta, quod Deus Verbum suum de Virgine carnem sumere voluit. Sed caro differt a sanguine Virginis. Ergo corpus Christi non est sumptum de sanguine Virginis.

2. Præterea, Sicut mulier formata est miraculo de viro, sic corpus Christi miraculo formatum est de Virgine. Sed mulier non dicitur esse formata de sanguine viri, sed magis de carne, & osibus eius, secundum illud, quod dicitur Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Ergo videtur, quod nec etiam corpus Christi formati debuerit de sanguine Virginis, sed de carnibus, & ossibus eius.

3. Præterea : corpus Christi fuit eiusdem speciei cum corporibus aliorum hominum : sed corpora aliorum hominum non formantur ex purissimo sanguine , sed ex semine & sanguine menstruo. Ergo videtur , quod nec etiam corpus Christi fuerit conceptum ex purissimis sanguinibus Virginis.

*Sed contra est, quod Damasc. dicit in libr. quod filius Dei
lib. 3. ortho. construxit sibi ipsi ex castissimis, & purissimis sanguinibus
sacri c. 2. in Virginis carnem animatam anima rationali.*

Respondet dicendum, quod sicut supra dictum est, in conceptione Christi fuit secundum conditionem naturæ, quod quod est natus ex femina, sed supra conditionem naturæ, est natus ex Virgine. Habet autem hoc naturalis conditio, quod in generatione animalis femina materiam ministret, ex parte autem maris sit principium actuum in generatione, sicut probat Philosophus in libro de Generatione animalium. Femina autem, quæ ex mare concepit, non est virgo. Et ideo ad supernaturalem modum generationis Christi pertinet, quod actuum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis diuina. Sed ad naturalem modum generatio-

A nis eius pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materia, quam alia femine subministrant ad conceptionem prolis. Hac autem materia secundum Philosophum in lib. de generatione animalium, est sanguis mulieris non quicunque, sed perductus ad quandam amplio rem digestionem, per virtutem generativam matris, & sit materia apta ad conceptum, & ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum.

Ad primum ergo dicendum, quod cum B. Virgo fuerit eiusdem naturæ cum aliis feminis, consequens est, quod habuerit carnem, & ossa eiusdem naturæ. Carnes autem, & ossa in aliis feminis sunt actuales corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis, & ideo subtrahi non possunt sine corruptione corporis, vel diminutione. Christus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritatis matris eius inferre debuit, ut supra dictum est. Et ideo non debuit corpus Christi formari de carne, vel ossibus virginis, sed de sanguine, qui nondum est actu pars, sed est potentia tota, ut dicitur in libro de generatione animalium. Et ideo dicitur, carnem de virgine sumpsisse: non quod materia corporis eius fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentia caro.

Ad secundum dicendum, quod sicut in prima parte dictum est, Adam, quia institutus erat, ut principium quoddam humane nature, habebat in suo corpore aliquid carnis. & ossis, quod non pertinebat ad integritatem personalem ipsius, sed solum in quantum erat natura humane principium: & de tali carne formata est mulier absque viri detrimento. Sed nihil tale fuit in corpore Virginis: ex quo corpus Christi posset formari sine corruptione materni corporis.

ad tertium dicendum, quod semen feminae non est generationi aptum, sed est quiddam imperfectum in genere seminis, quod non potuit perducere ad perfectum seminis complementum, propter imperfectionem virtutis femineae. Et ideo tale semen non est materia, quae de necessitate requiratur ad conceptum: sicut Philosophus dicit in libro de Generatione animalium. Et ideo in conceptione corporis Christi non fuit praeteritum quia licet sit imperfectum in genere seminis, tamen cum quadam concupiscentia resoluitur, sicut et semen maris. In illo autem conceptu virginali, concupiscentia locum habere non potuit, et ideo Damascenus dicit, quod corpus Christi non feminaliter conceptum est. lib. 3. c. 1. c. 1. f. 1. a.

D
guis autem menstruus, quem fœmine per singulos menses & 7.
emittunt, impuritatem quandam naturalem habet cor-
ruptionis: sicut & cetera superfluitates, quibus natura non
indiget, sed eas expellit. Ex tali autem menstruo corrupti-
onem habente, quod natura repudiat, non formatur con-
ceptus: sed hoc est purgamentum quoddam illius puri san-
guinis, qui digestione quidam est preparatus ad conce-
ptum: quasi purior, & perfectior alio sanguine. Habet ta-
men impuritatem libidinis in conceptione aliorum homi-
num: in quantum ex ipsa commixtione maris, & femi-
næ, talis sanguis ad locum generationi congruum attrahi-
tur. Sed hoc in conceptione Christi non fuit: quia operatio-
ne Spiritus Sancti talis sanguis in vrero Virgini aduna-
tus est, & formatus in prolem. Et ideo dicitur corpus Chri-
sti ex castissimis, & purissimis sanguinibus Virgini forma-
tum.

COMMENTARIUS.

NOtanda est hoc loco ratio D. Thomæ. Inde enim probat Christi corpus fuisse formatum ex sanguine Virginis, quia formatusest Christus ex Virgine, tanquam verus filius eius, ad hoc autem necessarium fuit, vt B. Virgo in illa cōceptione præsterit, quod aliæ feminae in conceptione filiorum præstare solent, vt matres possint appellari, illud autē præcipuum est, quod sanguinē suum subministrat, ex quo fœtus possit formari, hoc ergo vt mini-

num necessarium fuit in Virgine, vt mater possit appellari. Non enim satis esset, quod Christus acciperet corpus ex Virgine formando illud ex costa v.g. aut alio simili modo, quia non magis posset filius eius appellari, quam Eua dici possit filia Adæ, & ideo formatus est, B. Virgine verissime, ac propriissime sanguinem suum subministrante, tanquā vera matre. Dicitur autem ille sanguis fuisse purissimus, quia vt hic D. Thom. ex Aristotele refert, & indicat August. lib. 83. quæstionum. q. 6. etiam in aliis matribus humanum corpus ex puro sanguine, magisque digesto fabricatur, in B. autem Virgine fuit purissimus: tum ob singularem eius temperantiam: tum etiam ob singularem Spiritus Sancti curam, & prouidentiam. Et hæc ratio D. Thomæ tam efficax est, & euidentis supposito principio fidei, vt conclusionem faciat omnino certam, & ita recepta est cōmuni consensu, & traditione totius Ecclesiæ. Et habetur in 6. Synod. act. 11. in epist. Sophronij, & in Damasceno, quem hic D. Tho. citat, & in aliis Patribus communiter. Occurrebant autem difficultates circa veritatem hanc, quæ, quia modum conceptionis attingunt, tractabuntur commodius in disputatione sequenti. Cætera sunt clara in articulo. Nam illa quæstio, an sanguis in formetur anima, quam D. Th. hic attigit in argumento primo in primo tom. circa quæst. 4. latissime disputata est.

D Thom.
Arist.
August.

6. Synodo.
Damasce.

ARTICVLVS. VI.

Utrum corpus Christi in antiquis Patribus fuerit secundum aliquid signatum.

173.
3. d. 3. q. 4.
art. 2.

Lib. 10. c.
19. & 20.
tom 3.



D sextum sic proceditur. Videtur quod corpus Christi fuerit secundum aliquid signatum in Adam, & in aliis Patribus. Dicit enim Aug. 10. super Genes. ad literam, quod caro Christi fuit in Adam, & Abraham secundum corpulentam substantiam. Sed substantia corpulenta est qui dicitur signatum. Ergo caro Christi fuit in Adam, & Abraham, & aliis Patribus secundum aliquid signatum.

2. Præterea Roman. 1. dicitur, quod Christus factus est ex semine Dauid secundum carnem. Sed semen Dauid fuit aliquid signatum in ipso. Ergo Christus fuit in Dauid secundum aliquid signatum, & eadem ratione in aliis Patribus.

3. Præterea, Christus ad humanum genus affinitatem habet, in quantum ex humano genere carnem assumpsit. Sed si caro illa non fuit secundum aliquid signatum in Adam, nullam videtur habere affinitatem ad humanum genus, quod ex Adam derivatur: sed magis ad alios, vnde materia carnis eius assumpta est. Videtur ergo, quod caro Christi fuerit in Adam, & in aliis Patribus secundum aliquid signatum.

Sed contra est, quod Augustinus dicit. 10. super Genes. ad literam: Quocumque modo Christus fuit in Adam, & Abraham, & aliis Patribus: alij homines etiam ibi fuerunt, sed non conuertitur. Alij autem homines non fuerunt in Adam, & Abraham, secundum aliquam materiam signatam, sed solum secundum originem, vt in prima parte habetur: ergo neque Christus fuit in Adam, & Abraham secundum aliquid signatum, & eadem ratione nec in aliis Patribus.

Respondendo dicendum, quod sicut supra dictum est, materia corporis Christi non fuit caro, & os Beatæ Virginis, nec aliquid, quod fuerit actu pars corporis eius, sed sanguis, qui est potentia caro. Quicquid autem fuit in Beata Virgine a parentibus acceptum, fuit actu pars corporis Beatæ Virginis. Vnde illud, quod fuit in Beata Virgine a Parentibus acceptum, non fuit materia corporis Christi, & ideo dicendum est, quod corpus Christi non fuit in Adam, & aliis patribus

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, materia corporis Christi non fuit caro, & os Beatæ Virginis, nec aliquid, quod fuerit actu pars corporis eius, sed sanguis, qui est potentia caro. Quicquid autem fuit in Beata Virgine a parentibus acceptum, fuit actu pars corporis Beatæ Virginis. Vnde illud, quod fuit in Beata Virgine a Parentibus acceptum, non fuit materia corporis Christi, & ideo dicendum est, quod corpus Christi non fuit in Adam, & aliis patribus

1. par. q. ult.
art. 1.
Art. præced.

A secundum aliquid signatum, ita scilicet quod aliqua pars corporis Adæ, vel alicuius alterius posset designari determinatè, vt diceretur quod ex hac materia determinatè formabatur corpus Christi: sed fuit ibi secundum originem, sicut & caro & aliorum hominum. Corpus enim Christi habet relationem ad Adam, & alios Patres mediante corpore matris eius. Vnde nullo alio modo fuit in Patribus corpus Christi, quam corpus matris eius, quod non fuit in Patribus secundum materiam signatam, sicut nec corpora aliorum hominum: vt in 1. parte dictum est.

1. p. q. ult.
art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur Christus fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam, non est intelligendum hoc modo, quod corpus Christi in Adam fuerit quedam corpulenta substantia: sed quia corpulenta substantia corporis Christi, id est, materia, quam sumpsit ex Virgine, fuit in Adam, sicut in principio actiuo, non autem sicut in materiali principio: quia scilicet per virtutem generatricem Adæ, & aliorum ab Adam descendit usque ad Beatam Virginem factam est, vt illa materia prepararetur ad conceptum corporis Christi. Non autem fuit materia illa formata in corpus Christi per virtutem seminis ab Adam derivatam. Et ideo Christus dicitur fuisse in Adam originaliter, secundum corpulentam substantiam: non autem secundum feminalem rationem.

Ad secundum dicendum, quod quamuis corpus Christi non fuerit in Adam, & in aliis Patribus secundum feminalem rationem: corpus tamen Beatæ Virginis, quod ex semine matris est conceptum, fuit in Adam, & in aliis Patribus secundum rationem feminalem. Et ideo mediante Beata Virgine, Christus secundum carnem dicitur esse ex semine Dauid per modum originis.

Ad tertium dicendum, quod Christus habet affinitatem ad humanum genus secundum similitudinem speciei. Similitudo autem speciei attenditur, non secundum materiam remotam: sed secundum materiam proximam, & secundum principium actiuum, quod generat sibi simile in specie. Sic igitur affinitas Christi ad humanum genus sufficiens conseruatur, per hoc, quod corpus Christi formatum est ex sanguinibus Virginis derivatis secundum originem ab Adam, & aliis Patribus. Nec refert ad hanc affinitatem vndeunque materia illorum sanguinum sumpta fuerit: sicut nec hoc refert in generatione aliorum hominum, sicut in prima parte dictum est.

COMMENTARIVS.

Recte aduertit Caietanus, D. Thomam hanc mouisse quæstionem occasione cuiusdam antiquæ opinionis, quæ vt carnem Christi tam in se, quam in suis parentibus omnino faceret à peccato, debitoque peccati liberam, asseruit Deum in Adamo partem quandam substantiæ eius designasse, & quasi separasse, vt omnino esset à lege peccati præseruata, eamque usque ad B. Virginem, per omnes sibi succedentes progenitores eius, integram fuisse transfusam, vt ex illa purissima Christi caro formaretur. Quam sententiam inter recentiores defendit Galatin. lib. 7. cap. 4. D. autem Thomas meritò hanc sententiam rejicit; est enim reuera merum figmentum. Indicat autem D. Thomas duplicem rationem. Prima est, quia Christi caro non fuit formata ex aliqua materia, quæ fuerit actu pars corporis Virginis, non ergo fuit formata ex illa particula signata, quæ in prioribus parentibus præcesserit, & Virgini communicata fuerit. Patet consequentia, quia Christi corpus non fuit formatum ex prioribus parentibus, nisi mediante B. Virgine: B. autem Virgo non habuit à suis parentibus, nisi ea, quæ fuerunt actu partes corporis eius.

Galatin.

Dices: filius non solum habet à matre actu partes, sed etiā humores, & sanguinē, qui est pars in potentia. Obiectio. Respon.

Responsio

Respondetur, esto ita sit eo tempore, quo fetus concipitur, nihilominus tamen eo tempore, quo B. Virgo filium concepit, non potuit in suo corpore habere aliquid à parentibus acceptum, quod non esset actu pars eius, quia si aliquid sanguinis in prima conceptione suscepit à matre, non potuit toto illo tempore conservari sub forma sanguinis, quia cum esset potentia caro, & agens propinquum, necesse est, ut tandem fuerit in carnem, vel ossa cōversum. Vnde confirmari potest hæc ratio, nam vel illa particula substantiæ, ex qua formatum fingitur Christi corpus, erat incorruptibilis, & hoc asserere hæreticū est, aut corruptibilis, & mutabilis in hominis substantiā, & ita non potuit perpetuò immutata conservari, & transfundi. Nisi forte dicatur miraculose fuisse cōservatam, quod voluntarium & sine fundamento est, & oportebit præterea aliud miraculū adiungere, quo illa particula substantiæ perpetuo fuerit à patribus in filios transfusa. Non enim transfundi poterat ex vi feminalis generationis naturalis: tum quia non transfundebatur, ut ex ea formaretur proles, neq; ut informaretur anima eius, neq; ut cōcurreret ad generationem eius, sed solum, ut deferretur vsq; ad Christum, tum etiam, quia illa particula solū dēruabatur, iuxta hanc sententiam, ad eos filios, ex quibus venturus erat Christus, & non ad alios, etiam si fortasse prius tempore ab eodem parente, per eandem seminalem virtutem, & facultatem generarentur. Sequitur ergo illam transfusionem, & propagationem prout ad Virginē, vel Christum pertinebat, nūquam fuisse naturalem, sed miraculosam, & potius diuinā, quā humanā actione, ac voluntate factum esse, ut illa particula transfunderetur, & per se absurdissimum est. Et præterea ex illo sequitur Christum non fuisse filium David, neq; Abraham, quod est contra Scripturam, sequela patet, quia omnes illi antiqui Patres, re vera non fuerunt iuxta hanc sententiam viri progenitores Christi, sed solum quasi deferentes illam particulam, quæ diuino arbitrio, & motione comitabatur alicuius filij generationem.

Secunda ratio, quam tacitè indicat D. Thomas, est, quia corpus Christi non fuit in parentibus aliter, quā corpus Virginis, quia non fuit in illis, nisi mediante Virgine, sed corpus B. Virginis non fuit in Patribus secundum materiam signatam, quia non fuit in illis aliter quā alij filij sint in suis parentibus. Quod D. Thomas non probat, est autem certissimum, quia Beata Virgo fuit naturali modo concepta per veram seminalem propagationem, alias non fuisset ex vi suæ conceptionis peccato obnoxia; quod Galatinus consequenter admittit: grauer tamen errat, ut supra ostensum est. Aliter tamen respondere posset, & vitare huius rationis vim, negando maiorem, & dicendo, Virginem quidē fuisse conceptam ex communi, & infecta materia, sicut progenitores eius, tamen in illam fuisse transfusam illam particulam, ex qua corpus Christi formandum erat, sicut in omnibus præcedentibus progenitoribus factum fuerat. Sed licet hoc ita sit, non obstat, quia ratio D. Th. procedit cōtra eos, qui asserbant, corpus Virginis ex illa particula fuisse formatum; tamen contra alium modum explicandi illā sententiam sufficienter concludunt, quæ in prima ratione adducta sunt. Et addi præterea potest, quod iuxta illū modum non fuisset formatum Christi corpus ex sanguine Virginis, neque de substantia eius magis, seu proximius, quā de substantia Adæ, vel Abraham. Patet consequentia, quia solum fuisset formatum ex materia illius partiellæ, quæ eadem numero fuerat in Adamo, Abraham, &c. solique fuisset differentia, quod tempore formationis Christi illa particula inuenta est in corpore Virginis, & non in alijs. Hæc autē omnia sunt absurda, & à doctrina fidei aliena, & ideo hæc sententia antiquatā

Fr. Suarez tom. 2.

prorsus est, & ab omnibus reiecta. Ad fundamentū verò eius responderet D. Thomas duobus articulis sequentibus. In argumentis verò, quæ in hoc articulo proponit, & in solutionibus eorum, nihil explicandum occurrit.

ARTICVLVS VII.

Utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia.



Septimum sic proceditur. Videtur, quod caro Christi in antiquis Patribus peccato infecta non fuerit. Dicitur enim Sapient. 7. quod in diuinam sapientiam nihil inquinatum incurrat: Christus autem est Dei sapientia, ut dicitur. 1. ad Corinth. 1. Ergo caro eius nunquam peccato inquinata fuit. 2. Præterea Damascenus dicit in tertio libro, quod Christus primitias nostræ naturæ assumpsit. Sed in primo statu carnis humana non erat peccato infecta. Ergo caro Christi non fuit infecta, nec in Adam, nec in alijs Patribus. 3. Præterea, Aug. dicit. 10. super Gen. ad literā, quod natura humana semper habuit cum vulnere vulneris medicinalis: Sed id, quod est infectum, non potest esse vulneris medicinalis, sed magis ipsum indiget medicina. Ergo semper in natura humana fuit aliquid non infectum, ex quo postmodum est corpus Christi formatum.

Sed contra est, quod corpus Christi non refertur ad Adam, & ad alios Patres, nisi mediante corpore Beate Virginis, de qua carnem assumpsit. Sed corpus Beate Virginis totum fuit in originali peccato conceptum, ut supra dictum est: & ita etiam secundum quod fuit in Patribus fuit peccato obnoxium. Ergo caro Christi, secundum quod fuit in Patribus, fuit peccato obnoxia.

Respondeo dicendum, quod cum dicimus Christum, vel carnem eius fuisse in Adam, & in alijs Patribus, comparamus ipsum, vel carnem eius ad Adam, & ad alios Patres. Manifestum autem est, quod alia fuit conditio Patrum, & alia Christi. Nam Patres fuerunt subiecti peccato, Christus autem fuit omnino à peccato immunis. Dupliciter ergo in hac comparatione errare contingit. Vno modo ut attribuamus Christo, vel carni eius conditionem, quæ fuit in Patribus: puta, si dicamus, quod Christus in Adam peccauit: quia in eo aliquo modo fuit, quod est falsum: quia non eo modo in eo fuit, ut ad Christum peccatū Adæ perueniret: quia non derivatur ab eo secundum concupiscentiæ legem, siue secundum rationem seminalem, ut supra dictum est: Alio modo contingit errare, si attribuamus ei, quod actu fuit in Patribus, conditionem Christi, vel carnis eius, ut scilicet, quia caro Christi, secundum quod in Christo fuit, non fuit peccato obnoxia: ita etiam in Adam, & in alijs Patribus fuerit aliqua pars corporis eius, quæ non fuit peccato obnoxia, ex qua postmodum corpus Christi formaretur: sicut quidam posuerunt. Quod quidem esse non potest. Primo, quia caro Christi non fuit secundum aliquid signatum in Adam, & in alijs Patribus, quod posset distingui à reliqua eius carne, sicut purum ab impuro: sicut iam supra dictum est. Secundo, quia cum caro humana peccato inficiatur ex hoc, quod est per concupiscentiam concepta: sicut tota caro alicuius hominis per concupiscentiam concipitur, ita etiam tota peccato inquinatur. Et ideo dicendum est, quod tota caro antiquorum Patrum fuit peccato obnoxia nec fuit in eis aliquid à peccato immune, de quo postmodum corpus Christi formaretur.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non assumpsit carnem humani generis subiectam peccato, sed ab omni infectione peccati mundatam. Et ideo in Dei sapientiam nihil inquinatum incurrat.

Ad secundum dicendum, quod Christus dicitur primitias nostre

nostra natura assumptis, quantum ad similitudinem conditionis: quia si illi et assumptis carnem peccato non infectam, sicut fuerat caro hominis ante peccatum. Non autem hoc intelligitur secundum continuationem puritatis: ita scilicet. quod illa caro puri hominis conservaretur à peccato immunis, usque ad formationem corporis Christi.

Ad tertium dicendum, quod in humana natura ante Christum erat vulnus, id est, infectio originalis peccati in actu: medicina autem vulnere non erat ibi actu: sed solum secundum virtutem originis: prout ab illis Patribus propaganda erat caro Christi.

COMMENTARIUS.

Hunc articulum proposuit D. Tho. ut illam signatam particulam, de qua in præcedenti articulo dictum est, ostenderet necessariam non esse, ut caro Christi ab omni peccato, ac debito peccati immunis fuerit ex vi suæ originis. Primum ergo supponit Christum omnino fuisse à peccato liberum, & debito, ac origine peccati, quia non peccavit in Adamo, cum in illo non fuerit contentus secundum feminalem rationem, quoniam non erat ex illo formandus, & concipiendus per feminalem originem. Ex quo fit non esse necessarium ad hanc Christi immunitatem, & innocentiam, ut præcesserit in parentibus illa signata particula immunis peccati, quia caro Christi non fuit in parentibus in actu secundum aliquid signatum, sed tantum in potentia materiali proximè, vel remotè. Imo addit D. Tho. non esse possibilem illam particulam, quia tota caro hominis peccato inquinatur, cum tota per concupiscentiam concipiatur, quæ conceptio est proxima radix, & origo talis infectionis. Quæ ratio optime concludit, si particula illa propagari, seu communicari dicitur ex vi feminis conceptionis: si verò hoc negetur, vel fingantur alia inuitata miracula, procedunt rationes superius factæ. Et hæc tenet D. Thom. in corpore articuli.

Ex quibus, si quis attentè consideret, intelligeret, D. Thomam non respondisse directe quæstioni propositæ. Solum enim concludit, totam carnem antiquorum Patrum fuisse peccato obnoxiam, nec fuisse in eis aliquid à peccato immune, de quo postmodum Christi corpus formaretur, unde, licet res satis constet: tamè de modo loquendi dubitari potest, an simpliciter concedi possit, carnem Christi in Patribus fuisse peccato obnoxiam. Caietanum enim hoc loco existimat posse concedi, carnem Christi in Patribus fuisse peccato obnoxiam. Nam licet prius reduplicationem, & quasi limitationem posuisset, dicens, caro Christi in Patribus, ut in Patribus: postea tamen simpliciter illud concedit, imo Magister Sententiarum in 3. d. 3. concedit, carnem Christi prius, quam conciperetur, fuisse peccato obligatam, seu obnoxiam, & videtur favere D. Thom. articulo sequenti, argumento tertio cum solutione. Sed quamvis res constet, in modo loquendi oportet cautionem adhibere. Unde in primis nullo modo dicendum est absolute, carnem Christi fuisse peccato obnoxiam: tum quia neque in se fuit unquam subiecta debito peccati, neque ex parentibus habuit originem, propter quam futura esset peccato obnoxia. Deinde illa propositio, caro Christi in parentibus fuisse peccato obnoxia, non est admittenda. Ratio est, quia caro Christi non continebatur actu in parentibus, ut autem erat in potentia non erat in illis secundum feminalem virtutem, & ideo non poterat ex vitaliū parentum, seu causarum maculari, seu peccato subijci, quia illi parentes solum poterant inficere carnem, quam in feminale virtute continebant, ergo non potest caro Christi dici obnoxia peccato in suis causis, & parentibus, quia hoc nihil aliud significat quam ita contineri in illis, ut ab illis possit infici, seu

maculari per propagationem. Tertio dicere possumus, carnem antiquorum Patrum, quæ in potentia carnem Christi continebat, fuisse peccato subiectam, vel obnoxiam. Hoc patet ex præcedenti articulo. Quia caro Christi non fuit formata ex aliqua signata particula, quæ in eius parentibus fuerit ab infectione peccati omnino immunis: sed tota caro præcedentium Patrum de se legi peccati subiecta fuit, & hoc modo vere dicitur Christus natus ex peccatoribus, ut ex peccatoribus nascentis, omnium peccata deleverit, ut Orig. dixit homil. 28. in Luc. & Hieronym. Math. 1. qui notat, ad indicandam hanc Dei benignitatem, in genealogia saluatoris, potius peccatricum mulierum mentionem fieri, quam sanctarum. Et Caietanum sine dubio nihil aliud intendit, & ideo addit reduplicationem illam, ut in parentibus, & D. Thom. dixit, secundum qualitatem, quam habuit in suis parentibus, quod est dicere, non ipsam, sed carnem suorum parentum fuisse obnoxiam peccato. Et sine dubio melius est ita loqui, ut in corpore huius articuli D. Tho. est locutus. In quo ulterius aduerto, aliud esse loqui de parentibus remotis Christi, aliud de parente proximo, quæ fuit sola mater eius. In illis enim fuit caro non solum obnoxia, sed etiam subiecta peccato: in hac verò subiecta non fuit, potest vero dici fuisse obnoxia, iuxta supra tradita de conceptione Virginis.

ARTICULUS VIII.

Verum Christus in lumbis Abrahe fuerit decimatus.

Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod Christus fuerit in lumbis Abrahe decimatus. Dicit enim Apostolus ad Hebræos 7. quod Levi, pronepos Abrahe, decimatus fuit in Abraham, quia eo decimas dante Melchisedech, adhuc Levi erat in lumbis eius. Sed similiter Christus erat in lumbis Abrahe, quando decimas dedit. Ergo ipse etiam Christus fuit decimatus in Abraham.

2. Præterea, Christus est ex semine Abrahe secundum carnem, quam de matre accepit. Sed mater eius fuit decimata in Abraham. Ergo pari ratione Christus.

3. Præterea illud in Abraham decimabatur, quod ratione indigebat, ut Aug. dicit 10. super Gen. ad litteram. Cuius ratione autem indiget omnis caro peccato obnoxia. Cum igitur caro Christi fuerit peccato obnoxia (sicut dictum est) videtur, quod caro Christi in Abraham fuerit decimata.

4. Præterea. Hoc non videtur aliquo modo derogare dignitati Christi: nihil enim prohibet patre alicuius Pontificis decimas dante alicui sacerdoti, filium eius Pontificem maiorem esse simplici sacerdote. Licet ergo dicatur Christus decimatus: Abraham decimas dante Melchisedech, non tamen propter hoc excluditur, quin Christus sit maior, quam Melchisedech.

Sed contra est, quod Aug. dicit 10. super Gen. ad litteram, lib. 10. cap. 20. post medium, 10. 3. quod Christus ibi, scilicet in Abraham, decimatus non est: cuius caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit.

Respondetur dicendum, quod secundum intentionem apostoli oportet dicere, quod Christus in lumbis Abrahe non fuerit decimatus. Probat enim Apostolus, maius esse sacerdotium, quod est secundum ordinem Melchisedech, sacerdotio Leuitico, per hoc quod Abraham decimas dedit Melchisedech, adhuc Levi existente in lumbis eius, ad quem pertinet leuitale sacerdotium. Si autem Christus etiam in Abraham decimatus esset, eius sacerdotium non esset secundum ordinem Melchisedech, sed minus sacerdotio Melchisedech. Et ideo dictum est, quod Christus non est decimatus in lumbis Abrahe, si. 118

Caiet.

Magist.

D. Thom.

sicut Leui. Quia enim ille, qui decimas dat, nouem sibi retinet, & decimam alij tribuit, quod est perfectionis signum (in quantum est quodammodo terminus omnium numerorum, qui procedunt vsque ad decem) inde est, quod ille, qui decimas dat, protestatur se imperfectum, & perfectionem alij tribuere. Imperfectio autem humani generis est propter peccatum, quod indiget perfectione eius, qui à peccato curat. Curare autem à peccato, est solius Christi: ipse enim est agnus, qui tollit peccata mundi, vt dicitur Ioann. 1. Figuram autem eius gerebat Melchisedec. vt Apostolus probat Hebr. 7. Per hoc ergo, quod Abraham Melchisedec decimas dedit, presignauit se velut in peccato conceptum: & omnes, qui ab eo descensuri erant, e ratione, vt peccatum originale contraherent, indigere curatione, quæ est per Christum. Isaac autem, & Iacob, & Leui, & omnes alij sic fuerunt in Abraham, vt ex eo deriuarentur, non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum rationem seminalem, per quam originale peccatum contrahitur. Et ideo omnes in Abraham sunt decimati, id est, presignati indigere curatione, quæ est per Christum. Solus autem Christus sic fuit in Abraham, vt ab eo deriuaretur, non secundum rationem seminalem, sed secundum corpulentam substantiam, & ideo non fuit in Abraham sicut curatione indigens, sed magis sicut vulneris medicina, & ideo non fuit in lumbis Abraham decimatus. Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod quia B. Virgo fuit in originali peccato concepta, fuit in Abraham sicut curatione indigens: & ideo fuit ibi decimata, velut inde descendens secundum seminalem rationem. De corpore autem Christi non est sic, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quod caro Christi dicitur fuisse in antiquis Patribus peccato obnoxia, secundum qualitatem, quam habuit in ipsis Patribus, qui fuerunt decimati: non autem secundum qualitatem, quam habet, prout est actu in Christo, qui non est decimatus.

Ad quartum dicendum: quod sacerdotium Leuiticum secundum carnis originem deriuabatur: vnde non minus fuit in Abraham, quam in Leui. Vnde per hoc, quod Abraham decimas dedit Melchisedec, tanquam maiori, ostenditur sacerdotium Melchisedec, in quantum gerit figuram Christi, esse maius sacerdotio Leuitico. Sacerdotium autem Christi non sequitur carnis originem, sed gratiam spiritualem. Et ideo potest esse quod pater det decimas alicui sacerdoti tanquam minor maiori: & tamen filius eius, si sit Pontifex, est maior illo sacerdote, non propter carnis originem, sed propter gratiam spiritualem, quam habet à Christo.

COMMENTARIVS.

Heb. 7.
August.

Christus in
lumbis A-
brahe non
decimatus.

Hic articulus positus est ad explicandum locum Pauli ad Hebr. 7. quem Augustinus tractat, & in hunc modum exponit, libro. 10. Genes. ad lit. ca. 12. Probat enim ibi Paulus sacerdotium Leuiticum fuisse minus perfectum sacerdotio Melchisedech, quia in Abraham est decimatus Leui. Abraham enim decimas soluit Melchisedech, quando in lumbis suis Leuiticam prolem continebat. Quo facto mystice, & in figura professus est sacerdotium Leuiticum inferius fore sacerdotio Melchisedech. Ex quo statim oriebat difficultas, nam eodem argumento posset probari sacerdotium Christi esse inferius Melchisedech, quia etiam ipse in lumbis Abraham continebatur. Vnde etiam in persona eius intelligi potest Abraham soluisse decimas, & professus esse illum fore inferiorem, & hoc est Christum esse decimatum in lumbis Abraham. Respondet vero Augustinus non esse eandem rationem de Christo, & de Leui. Quia Christus non continebatur in lumbis Abraham secundum seminalem rationem, sicut ille, sed tantum secundum corpulentam substantiam, & idem.

Fr. Suarez. Tom. 2.

Ad hoc non intelligitur decimatus, sicut ille, quia solum intelligitur decimatus in parente filius in illo contentus secundum seminalem virtutem: & hoc sensu doctrina Augustini, & D. Tho. est certissima, & de fide, & intenta à Paulo in dicto loco.

Obiectio.

Dices, cur tantum intelligitur decimatus filius contentus secundum seminalem rationem, & non ille, qui secundum corpulentam substantiam in illo continetur. Respondetur, sicut in Adam non peccarunt, nisi qui secundum seminalem rationem in eo continebantur, ita nec in Abraham sunt decimati, nisi qui eo modo in lumbis eius existerant. Et ratio proxima est, quam hic reddit D. Thomas, quia Abraham soluendo decimas imperfectionem suam professus est, & defectum suæ conceptionis, & originis, ratione cuius, curatione, quæ per Christum est, indigebat. Quia sicut numerus denarius perfectionem, & consummationem significat: ita solutio decimarum fuit quædam confessio propriæ imperfectionis, & indigentia, quam Abraham exhibuit, representans omnes suos posteros, qui ex vi illius, seu ex vi originis, ab illo, cum eodem defectu & imperfectione dimanaturi erant, huiusmodi autem erant illi tantum, qui secundum seminalem rationem, in eo continebantur. Ratio verò radicalis est, quia filij contenti in seminali virtute parentis, sunt propriè in virtute, & quasi in naturali potestate eius, & ideo operari potest parens vt caput, & principium eorum. At verò filius contentus solum secundum corpulentam substantiam, est in illo tantum secundum potentiam passiuam, & quasi obediencialem, saltem quoad modum generationis, & propagationis, & ideo non operatur propriè huiusmodi pater vt caput, & principium talis filij, ita vt operationes eius ad filium aliquo modo pertinere censeantur.

Et ex his (vt hoc circa solutionem ad secundum D. Thomæ adnotetur) colligitur differentia inter B. Virginem, & Virginem, quia illa decimata fuit in lumbis Abraham, quia in eo secundum seminalem rationem continebatur: ad hoc autem non est necesse vt fuerit in peccato concepta, sed satis est, ex vi suæ originis fuisse peccato obnoxia, & indiguisse redemptione Christi, per quam fuit ab illo peccato præseruata.

B. Virgo in
lumbis A-
brahe decimata.

QVÆSTIO XXXII.

De conceptione Christi, quoad actuum principium, in quatuor articulos diuisa.

De qua disputant Theologi in 3. dist. 4.

Einde considerandum est de principio actiui in conceptione Christi.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtum Spiritus Sanctus fuerit principium actiui conceptionis Christi.

Secundo, vtum possit dici, quod Christus sit conceptus de Spiritu Sancto.

Tertio, vtum possit dici, quod Spiritus Sanctus sit pater Christi secundum carnem.

Quarto, vtum B. Virgo aliquid actiue egerit in conceptione Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Spiritus Sanctus fuerit principium actiui conceptionis Christi.



Primum sic proceditur. Videtur, quod 2. dist. ar. 1. efficere conceptionem Christi, non debeat 9. 2. & 4. attribui Spiritui Sancto. Quia vt Augustinus col. c. 45. & dicit in primo de Trin. Indiuisa sunt opera 46. & p. Trinitatis, sicut & indiuisa est Trinitatis 3. c. 126. & Ioan. 12. li.

1 2

ess-